In nomine domini amen. Die sexto novembris. Millesimo trecentesimo trigesimoquinto. indictione tercia. in burgo Ceti(?) prancary(?) iuxta stacionem quam tunc tenebat Andreolus de Peto(?) suprascripti burgi. Presentibus testibus domino Guarisco de Maffeis de Zomo. Et Facino de Cotelmanis(?). Et Mayfredo de Mayno notario omnibus civibus pergami(?). Et Ruffo de Maffeis de Zomo. Ibi Simon filius quondam domini Ardezoni de Bongis civis pergami(?). Profitens se lege Longobardorum vivere et etatem decemocto annorum et plus excessisse. Fecit et facit datum et venditionem ad proprietatem nomine et iure proprietatis pro libero et expedito alodio. Et omni modo iure forma et titullo quibus omnia infrascripta et quodlibet eorum melius valeant et teneant et firma sint et pleniore sortiantur effectum et prout melius potest Domino Petro filio quondam domini Federici de Bongis et in eius manibus. Nominatim de quadam pecia terre broliue(?) cum pluribus generibus arborum supra iacentis in burgo(?) sancti Laurencii(?) in territorio de Redona prope castrum de Redona. Cui pecie terre coheret a mane sive ab una parte fossatum huius pecie terre et ultra ipsum fossatum tenent domini de Bongis seu dominus Albertus de Suardis. A meridie sive ab alia parte similiter fossatum huius pecie terre et ultra tenent domini de Bongis seu suprascriptus dominus Albertus. A sero sive ab alia parte fossatum castri de Redona. A montibus sive ab alia parte incessium sive via et ultra lectus Ariolle(?) civis pergami(?). que pecia terre est tabularum certo vel ibi circa. et si plus vel minus reperiretur remaneat in hac dato et venditione precio infrascripto. Et de omni iure actione racione petitione et persecutione ipsi Simoni quoquo modo vel iure pertinentibus et competentibus in suprascripta et pro suprascripta pecia terre et eius actione. Eo vero modo et ordine ut ipse dominus Petrus et eius heredes et successores et cui vel quibus dederint proprio et omni tempore. habeant teneant et possideant suprascriptam peciam terre Cum omnibus superioribus et inferioribus confinibus. ingressionibus regressibus. viis usanciis et andatis et cum omnibus suis iuribus in integrum. Et de ea pecia terre quicquid voluerint facere faciant sine contradictione et molestia suprascripti Simonis suorumque heredum et successorum et cuiuscumque sua suorumque heredum et successorum auctoritate et defensione. In pena omnis damni dispendii et interesse. Et dedit. cessit tradidit atque mandavit suprascripto domino Petro omnia iura omnesque actiones et raciones reales et personales utiles et directas mixtas et ypothecarias sibi quoquo modo vel iure pertinentes et competentes in suprascripta et pro suprascripta pecia terre et eius actione. Et eum in suum proprium locum posuit et ponit ut in rem suam fecit constituit et ordinavit. Ad hoc ut ipse dominus Petrus et eius heredes et successores et cui vel quibus dederint decetero possint ita agere petere exigere excipere opponere replicare et alegare causari experiri litesque movere Ceteraque omnia alia facere in suprascripta et pro suprascripta pecia terre et eius actione quemadmodum suprascriptus Simon unquam potuit. poterat seu possit. Et dedit ei parabolam et licenciam intrandi. standi et decetero permanendi in corporalem tenutam et possessionem suprascripte pecie terre. Et fuit contentus et confessus ipsum dominum Petrum fore et esse in ipsa tenuta et possessione. Et ad maiorem cautelam et firmitatem constituit se tenere et possidere suprascriptam peciam terre et omnia predicta et quodlibet eorum pro suprascripto domino Petro et eius nomine. Volens omne dominium et possessionem suprascripte pecie terre et omnium predictorum et cuiusque eorum a se penitus abdicare et in ipsum dominum Petrum omnino transferre ad hoc ut ipsi Simoni non liceat amplius hoc revocare mandatum. Insuper suprascriptus Simon convenit et per stipulacionem promisit omnia sua bona pignori obligando. Et sub pena omnis damni dispendii et interesse. Et post penam compositam de sic atendere et observare suprascripto domino Petro quod deffendet guarentabit et desbrigabit ei et suis heredibus et successoribus et cui vel quibus dederint suprascriptam peciam terre et omnia suprascripta et quodlibet eorum ab omni contradicente cum racione suis propriis et expensis. Unde pro quibus dato et venditione et pro omnibus suprascriptis et quolibet eorum perpetuo firmis et ratis habendis tenendis. observandis et non contraveniendis suprascriptus Simon fuit contentus et confessus ad postulacionem suprascripti domini Petri se ab eo libras sex imperialium habuisse et recepisse. Et renunciando exceptioni non sibi date et numerate pecunie et exceptioni et condicioni sine causa vel ex iniusta causa doli mali in factum. Et fraudi dupli et tripli et alterius maioris vel minoris quantitatis. Et omni alii iuri. legi actioni et racioni quibus se de hoc tueri vel adiuvare posset.

Ego Mandrolus(?) de la Plaza notarius predictis omnibus interfui et rogatus scripsi.

Morbio 19 (142)

Descript

XXIX, 18

1335 6 Nov. Ci Parma
Jugeret schenkig

Carta factu p dnus Simone d Vergen dno pete
d Lona pcij ...ta Verdune Jacomus pbro ...

Morbio 19 (142)